

dum obscura; alteram, quæ non per rerum signa, sed per res ipsas immediate perceptas obtinetur, & hanc esse intuitivam, proximam & immediatam, adeoque longe præ altera illa præclarissimam & jucundissimam. Deinde notari jubet, omnia verba & nomina, adeoque etiam verba & nomina totius Scripturæ, non esse res ipsas divinas, sive Deum ipsum, nec Christum, nec ipsam lucem, vitam & virtutem Dei proprie dictam, nec Spiritum Dei, nec amorem illum Dei, pacem & gaudium Dei, nec iustitiam & sanctitatem & regnum Dei, si proprie & absque figura loqui velimus. Quod si (ait deinde, postquam exemplum cognitionis naturalis duplicis adduxisset,) rem aliquam naturalem & visibilem videre & per se ipsam, ultra & supra signa verborum, vocum, & nominum quorumcunque percipere longe clarior, jucundior & desiderabilior scientia est, quam de eare per externa verborum & vocum signa legere, audire & meditari, quanto magis nobilior, jucundior, clarior & desiderabilior cognitio ea DEI & Christi est, qua ipse Deus & Christus in corde credentis videtur, auditur, olfit, sentitur, tangitur & intimis anima medullis suavissimisque amplexibus apprehenditur. Nec est, quod quis mihi objiciat: talem scientiam Dei non esse sanctorum in vita mortali, sed cælis, & seculo futuro reservatam: Respondeo enim, quod primitiæ, pignus & arrhabo talis cognitionis & beatitudinis sanctis in vita mortali, adeo communicentur, quod tum ex multis scripturæ locis, tum ex multorum millium sanctorum, in omni seculo experientiis abunde patet. Atque ita porro. p. 14. contendit, Deum (in hac vita nostra) in Christo & cum Christo, in alto omnium verborum silentio, tam interno quam externo, seclusis etiam discursivis animi cogitationibus & ratiocinationibus quibuscunque ad tempus quoddam, multo melius, clarius & jucundius sentiri & cognosci, quam per omnia verba, quæ lingua hominum aut Angelorum unquam protulerint. Eadem l. c. longius persequitur & infra Cap. VII, p. 33. denuo inculcat.

XXIV. Ex adverso Nostrates persuasi atque apud animum certi sunt; talem scientiam Dei, quæ intuitiva & immediata est, seu qua Deus in Christo & cum Christo, secluso omni verbo tam interno quam externo, seclusis etiam discursivis animi cogitationibus & ratiocinationibus quibuscunque sentitur & cognoscitur, utique non esse san-

etorum